

inſcribatur polygonum DBAGFED, quod erit circulo dato circumſcriptum, ut patet; cum per conſtructionem tot habeantur tangentes æquales & æqualiter diſiſe in puncto contactus, quot ſunt latera in polygono quaſito.

Simili conſtructione circulo dato polygonum regulare inſcribitur. Dividatur numerus 360 per numerum laterum polygони quaſiti, ſumatur in circulo dato arcus huic quoto æqualis, chorda hujus arcus erit latus polygони; transferatur chorda illa per totam circumferentiam, habebitur polygonum quaſitum.

Hic autem diligenter obſervandum eſt per Geometriam elementarem circulo inſcribi poſſe duntaxat triangulum æquilaterum, pentagonum, pentedecagonum, hoc eſt, figuram quindecim laterum, & polygona regularia in quibus numerus laterum ſe habet in progreſſione geometrica dupla. Ita triangulum æquilaterum præbet polygona regularia laterum 6, 12, 24, 48 &c. quadratum præbet polygona laterum 8, 16, 32, 64 &c. Ex pentagono oriuntur polygona laterum 10, 20, 40, 80 &c. Tandem ex pentedecagono oriuntur polygona laterum 30, 60, 120, 240 &c. Alia polygona ut Heptagonum, Enneagonum, Hendecagonum &c. deſcribi non poſſunt geometricè, niſi per conſtructionem æquationum quæ ad ſublimiorem gradum aſſurgunt.

SCHOL. Cum polygonum regulare circulo inſcribi & circumſcribi poſſit, quomajor eſt in polygono inſcripto vel circumſcripto laterum numerus, eo magis polygonum ad
cir-